

IURISPRUDENTIA

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

**Sententia definitiva *coram* Daneels, diei 12 martii
2021 in una *Poenalis*, prot. n. 54067/18 CA**

SENTENTIA DEFINITIVA COLLEGII**Prot. n. 54067/18 CA*****Poenalis*****(Rev.dus X – Congregatio pro Clericis)**

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

FRANCISCO PP. feliciter regnante, Pontificatus sui anno VIII, die 12 martii 2021, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.mis D.nis Dominico Card. Mamberti, *Praefecto*, Raimundo Leone Card. Burke, Iosepho Card. Versaldi, atque Exc.mis et Rev.mis D.nis Philippo Iannone, O.Carm., et Francisco Daneels, O.Praem., *Ponente*, atque intervenientibus Cl.ma Gratia Solferino, utpote Recurrentis Patrona, Cl.ma Martha Wegan, tamquam Patrona Congregationis pro Clericis, atque Rev.mo Paulo Malecha, Promotore Iustitiae Substituto, hanc definitivam tulit sententiam.

I. SPECIES FACTI

1. Collegium praebendariorum ecclesiae cathedralis N ultimis decenniis multum fecit ad bona, tempore persecutionis ablata, recuperanda. Ab anno vero 2004 sine debita licentia varios contractus onerosos iniit, quibus, uti videtur, quaedam aedificia in suis praediis exstructa obtinuit. Em.mus vero Archiepiscopus anno 2007 Collegium monuit ut deinceps ad normam iuris procederet, sed frustra. Rev.dus X, natus die 15 iulii 1942, sacerdos die 29 iunii 1969 ordinatus et archidioecesi N incardinatus, die 3 iulii 2013 membrum Collegii nominatus et die 25 fe-

bruarii 2014 censor electus est, seu ad munere rectae bonorum administrationi ex parte Collegii invigilandi fungendum. Ortis quibusdam controversiis, apparuit ineunte anno 2017 gravis condicio oeconomica Collegii, utpote hypotheca summae circiter 4.900.000 euro onerata. Eius Rev.mus Decanus et administrator sine requisita licentia nonnullos actus posuerat administrationis extraordinariae, non exclusis actibus quibus condicio oeconomica peior fieri posset, sed totum Collegium utpote organum collegiale in re implicatum erat. Rebus sic stantibus, Congregatio pro Clericis consilium dedit ut contra membra Collegii per processum poenalem ad normam can. 1720 procederetur.

2. Die 19 octobris 2017, Episcopus auxiliaris et Vicarius generalis N, Exc.mus Y, tamquam Delegatus Em.mi Archiepiscopi, decretum tulit extraiudiciale poenale, quo declaravit omnia membra collegii praebendariorum culpabilia esse propter violationem praescriptorum cann. 1389 et 1377, seu ob abusum ecclesiasticae potestatis necnon ob alienationem bonorum ecclesiasticorum sine praescripta licentia. Quod decretum die 7 decembris 2017 ab Em.mo Archiepiscopo N plene confirmatum est.

3. Rev.do X, seu uni parti recurrenti in casu, «per aver commesso il delitto di cui al can. 1389, § 2 e can. 1377» sequentes poenae irrogatae sunt:

- «– rimozione dall'ufficio di Prebendario (cf. cann. 193, §§ 2-3; 1284, §§ 1-3, e per analogia 1741, 5°) secondo il rescritto della Congregazione per il Clero del 15 luglio 2017 [...];
- proibizione di esercitare un ufficio ecclesiastico che comporta l'amministrazione di beni ecclesiastici per tre anni;

- si aggiunge la penitenza penale a norma del can. 1340, § 1: per sei mesi pregare ogni giorno il salmo “Pietà di me, o Dio, secondo la tua misericordia” (Salmo 51) oppure le litanie al Sacro Cuore di Gesù; per tre mesi osservare l’astinenza dalle carni il martedì e venerdì; nei seguenti quattro anni ogni anno versare una somma in favore di un istituto caritativo, secondo le proprie possibilità. E presentarne la ricevuta di versamento all’Arcivescovo; fare gli esercizi spirituali nella durata di 15 giorni in una casa religiosa».

Disponebatur insuper: «di promuovere urgentemente nei confronti dell’Imputato il processo per il risarcimento dei danni a norma del can. 128 e di considerare l’opportunità di presentare il libello di accusa per rivendicare i diritti della Chiesa a norma del can. 1296».

4. Adversus praefatam decisionem, notificatam die 11 ianuarii 2018, Rev.dus X, unicus recurrens e Collegio praebendariorum, remonstrationem coram Em.mo Archiepiscopo die 18 ianuarii 2018 exhibuit, sed Exc.mus Y, eandem remonstrationem decreto diei 19 februarii 2018 reiecit. Rev.dus Recurrens dein recursum hierarchicum apud Congregationem pro Clericis die 5 martii 2018 interposuit. Quae autem Congregatio decreto diei 14 septembris 2018 poenas Rev.do X irrogatas confirmavit. Adversus hanc decisionem, notificatam die 28 septembris 2018, Rev.dus Vir tandem die 26 novembris 2018 ad hoc Supremum Tribunal provocavit, motivis recursus expositis.

5. Re ad normam iuris discussa, recursus in Congressu, die 12 iunii 2020 habito, ad disceptationem coram Collegio Iudicum admissus est. Omnibus dein peragentis rite peractis, nunc Nobis huic dubio respondendum est:

An constet de violatione legis in procedendo vel in decernendo relate ad decretum a Congregatione pro Clericis die 14 septembris 2018 latum.

II. IN IURE ET IN FACTO

6. Obiectum directum recursus ad Collegium Em.morum et Exc.morum Iudicum est, ad solum vero Rev.dum X quod attinet, decretum diei 14 septembris 2018, quo Congregatio pro Clericis decisiones Exc.mi Episcopi auxiliaris N et Em.mi Archiepiscopi N confirmavit, utpote iuri conformes in procedendo et in decernendo.

7. Acta causae sunt haudquaquam completa, nam Congregatio per suam Cl.mam Patronam die 2 martii 2020 respondit se non habere «acta relate ad processum poenalem, in casu peractum» [!] et mandatum Exc.mi Delegati ad processum poenalem peragendum ab eadem Cl.ma Patrona non est exhibitum.

8. Rev.dus Recurrens die 18 ianuarii 2018 ab Em.mo Archiepiscopo revocationem petiit decreti Exc.mi Delegati diei 19 octobris 2017 necnon eius confirmationis die 7 decembris eiusdem anni ab Em.mo Archiepiscopo datae, et, hac revocatione die 19 februarii 2018 ab Exc.mo Delegato denegata, die 5 martii 2018 ad Congregationem pro Clericis provocavit, quae hunc recursum pertractavit. Rev.dus autem Recurrens lamentatur quod Congregatio alios recursus ab eo propositos non admisit. Hac in re non est immorandum, nam ipse petierat «di risolvere con un unico decreto tutti i suddetti ricorsi dato che sono tutti riferiti allo stesso caso con la quasi identica argomentazione».

9. Rev.dus X, uti membrum Collegii, ad normam Statutorum partem habere debuit in sessionibus Collegii, «discutendo e decidendo di tutte le questioni ... materiali riguardanti il Collegio dei prebendari» (art. 4, n. 4; cf. artt. 10, n. 1; 17, n. 1: «Le conclusioni della seduta sono portate a votazione»). Exinde patet eius pars in actibus administrationis a Rev.mo Decano positus, a Collegio cognitis et saltem tacite ab eodem acceptis. Uti censor insuper debuit «esaminare e verificare il registro di cassa e le altre transazioni finanziarie del Collegio, esaminare e confermare il bilancio dello scorso anno, e presentarne la relazione alla seduta del Collegio» (art. 22, n. 2). Elucet autem ex actis Rev.dum Recurrentem munus censoris prorsus neglexisse. Ad rem statim animadvertendum est eum frustra opponere argumentum, iuxta quod sessiones Collegii illegitime et invalide convocatae fuissent, quodque ipse invalide censor electus esset. Impugnatum Congregationis decretum, sub n. 11, validis rationibus illud argumentum reiecit, etsi minus placet retorsio illius argumenti contra Rev.dum Recurrentem.

10. Quaedam confusio adest circa delicta, ob quae Rev.dus X condemnatus est. In parte dispositiva eum respiciente, decretum Exc.mi Delegati diei 19 octobris 2017 remittit ad delictum alienationis bonorum ecclesiasticorum (can. 1377) et ad delictum culpabilis neglegentiae cum damno alieno, de quo in can. 1389, § 2; in exordio decreti Congregationis tantum de neglegentia, de qua in can. 1389, § 2, fit sermo; in parte motiva eiusdem decreti (nn. 8-9) tertium additur delictum, seu abusus potestatis ecclesiasticae vel muneris, ad normam can. 1389, § 1. Quod ultimum praescriptum non respicit abusum pro quo iam lege vel praecepto poena sit constituta, proinde non respicit delictum alienationis bonorum ecclesiasticorum, de qua in can. 1377, ideoque sese referre censendum est

ad alios actus administrationis extraordinariae sine debita licentia positos (cf. can. 1281, § 1, de quo fit mentio in n. 8 decreti).

11. Delicta vero de quibus in cann. 1377 et 1389, § 1, praesupponunt dolum, seu deliberata violatio legis poenalis vel praecepti poenalis. Iam vero, varias ob rationes dubium habetur, utrum necne Rev.dus X illos canones deliberate violaverit. Tempore quo praebendarius erat, modus res oeconomicas ex parte Collegii gerendi iam diu erat consuetus et videbatur pacificus, quia superiora vigilantiae organa nihil ad rem animadvertebant; Rev.mus Decanus, Cappellanus Suae Sanctitatis, omni suspitione maior videbatur, quia modo extraordinario iam ad quintum mandatum approbatus erat et Em.mo Archiepiscopo annuente proximus credebatur; attestatioes eidem Decano a Cancellario archidioecesis ad agendum in ambitu civili datae facile in errorem inducebant eius modum res in ambitu canonico gerendi approbatum fuisse. Accedit quod nullo modo probatur Rev.dum Recurrentem illo tempore admonitum fuisse ad munus praebendarii et censoris rectius exercendum. (Miro modo, decretum Congregationis, sub n. 5, inter canones in casu prae oculis habendos citat can. 1371, n. 2, de «persistenza in stato di contumacia, pur essendo stato avvertito e ammonito dall'autorità competente»). Quidquid est, cum in dubiis in re poenali benignior praeferenda sit sententia, delictum, de quo in casu, restringendum apparet ad negligentiam culpabilem, de qua in can. 1389, § 2. Quam ob rem poenae impositae sustineri posse non videntur quatenus impositae ex cann. 1377 et 1389, § 1. Delictum vero, de quo in can. 1389, § 2, Rev.dus X sine dubio commisit. Rationes enim modo expositae illud delictum non tollunt, sed fortasse culpabilitatem quodammodo minuunt.

12. Rev.do Recurrenti in primis haec dura poena imposita est: «rimozione dall'ufficio di Prebendario (cf. cann. 193, §§ 2-3; 1284, §§ 1-3, e per analogia 1741, 5°) secondo il rescritto della Congregazione per il Clero del 15 luglio 2017». Haec vero poena imposita est ob delictum cum decreto poenali extra iudicium lato, quam ob rem in casu procul dubio non agitur de amotione ab officio, quae praesupponit modum procedendi administrativum non poenalem, sed de privatione officii, de quo in can. 196. Quae privatio non imponitur ad tempus determinatum vel indeterminatum, sed poena perpetua censenda est (cf. can. 1336 § 1: «Poenae expiatoriae... possunt esse aut in perpetuum aut in tempus indeterminatum aut in tempus determinatum...»). P. Gefaell in *Comentario exégetico al Código de Derecho Canónico*, 1a ed., 1995, I, p. 1089, ad rem scripsit: «Aunque en el CIC no se diga expresamente que la privación sea una pena perpetua, es imposible pensar en una privación temporal del oficio, pues la pérdida de la titularidad es perpetua por su misma naturaleza». V. De Paolis – A. D'Auria, *Le Norme Generali. Commento al Codice di Diritto Canonico*, Città del Vaticano 2008, p. 493, addunt: «attesa appunto la particolare severità di tale pena, essa può essere irrogata solo tramite sentenza, al termine di un processo giudiziale penale (cf. can. 1342 § 2), non essendo così sufficiente un semplice processo amministrativo». Et P.R. Lagges, *Diccionario general de Derecho Canónico*, VI, 2012, pp. 471-472, docet: «Dado que la privación del oficio supone que la persona deja de ser el titular de dicho oficio, debe considerarse como una pena expiatoria, que obliga de forma perpetua... Ello supone que la privación del oficio no puede ser impuesta por decreto (can. 1342 § 2); debe seguirse un juicio penal». Procedendum igitur fuisset per iudicium poenale ad Rev.do Recurrenti poenam privationis officii irrogandam, quo in casu Exc.mus Y, qui investigationem praevidam peregerat, munere iudicis fungi haudquaquam posset (cf. can. 1717,

§ 3). Constat igitur de violatione legis, at vero non solum in procedendo, quia in casu Congregatio per viam administrativam processit in re quae per viam iudicialem pertractanda erat, verum etiam in decernendo, quatenus confirmavit decisionem impugnata utpote iuri conformem in procedendo.

13. Ad rem, id est ad violationem legis etiam in decernendo, conferantur a) sententia definitiva, prot. n. 27795/97 CA, coram Agustoni, diei 24 martii 2001, n. 13 («[C]um impugnatum decretum Magni Cancellarii Universitatis diei 26 Iunii a. 1997 motiva decisionis summarie non expresserit, Congregatio errorem emendare nedum potuisset, sed debuisset. Qua re sive in procedendo sive in decernendo legem violavit. Nam Ordinatio Generalis Curiae Romanae, quae servanda erat, in art. 120 § 1 praecipit: “I ricorsi gerarchici alla Santa Sede contro i decreti amministrativi di autorità ecclesiastiche sono esaminati sia nella legittimità che nel merito dal Dicastero competente...”, et in § 3 habetur: “Il Dicastero deve motivare le proprie decisioni circa i ricorsi esaminati, a norma del can. 51 del Codice di Diritto Canonico...”. Congregationis de [Institutione] Catholica ergo erat errores emendare, defectus sanare»); b) sententia definitiva, prot. n. 37707/05 CA, coram Cacciavillan, diei 14 novembris 2007, n. 18 («Quae requisita cum in casu observata non sint, iam patet violatio legis in procedendo ex parte Exc.mi Archiepiscopi, quae redundat in violationem legis in decernendo ex parte Congregationis, quippe quae confirmaverit decisionem Exc.mi Z. Confirmari enim nequit id quod nullum est») et c) sententia definitiva, prot. n. 44136/10 CA, coram Burke, diei 16 novembris 2011, n. 7 («Ex actis autem patet Exc.mum Episcopum violasse legem in procedendo, quia numquam Rev.dum Recurrentem invitavit ad acta causae inspicienda, uti can. 1745, n. 1 exigit, et consequenter Congregatio-

nem pro Clericis legem in decernendo violasse, quia minime talem carentiam fundamentalem in procedendo ex parte Exc.mi Episcopi notavit vel ei remedium praestitit, sed contra decrevit Exc.mum Praesulem ad normam legis processisse»).

14. Decisiones impugnatae contra Rev.dum X frustra arguunt ipsum delictum confessum non esse, nec renuntiationem ab officio ob annum septuagesimum quintum expletum obtulisse. Accusatus enim ad confitendum delictum non tenetur (can. 1728, § 2), et praescriptum art. 35 Statutorum Collegii, quo praebendarius rogatur ut illa aetate adepta renuntiationem ab officio offerat, non implicat strictam obligationem iuridicam id faciendi, dum rationalis videtur ratio ab eo allata ne, pendente recursu contra privationem officii, id faceret.

15. Attento can. 16, § 3, haec sententia tantum vim habet quoad casum Rev.di X, nullo autem pacto relate ad alia membra Collegii praebendariorum ecclesiae cathedralis N, quae ceterum tempore opportuno decisiones adversas haudquaquam impugnaverunt.

16. Omittuntur ceterae animadversiones forte ad rem faciendae.

III. CONCLUSIO

17. Omnibus in iure et in facto aequè rimatis, infrascripti Patres, Christi Nomine invocato, pro Tribunali sedentes ac solum Deum prae oculis habentes, dubio proposito respondendum esse decreverunt atque facto respondent:

Constare de violatione legis in procedendo et in decernendo.

Rev.do Recurrenti restituatur summa in arca H.S.T. deposita pro expensis processualibus, quae autem a parte resistenti solvendae sunt. Utraque pars suae Cl.mae Patronae congruum solvat honorarium.

Hanc definitivam sententiam cum omnibus quorum interest communicandam et executioni mandandam decernimus, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 12 martii 2021.

(Signati)

Dominicus Card. MAMBERTI, *Praefectus*

Raimundus Leo Card. BURKE

Iosephus Card. VERSALDI

+ Philippus IANNONE, O. Carm.

+ Franciscus DANEELS, O. Praem., *Ponens*

Et notificetur.

Die 20 maii 2021

+ Iosephus SCIACCA

Secretarius

Marius LEITE DE OLIVEIRA

vices Praepositi Cancellariae gerens